



**R. P. Christophori De Ortega È Societate Iesu, Quondam
Scolasticæ Theologiæ publici Professoris, ac ejusdem
Facultatis Præfecti ... Theologia Controversiarum
Dogmaticarum, & Scholasticarum, de Divina ...**

**Ortega, Cristóbal de
Lugduni, M.DC.LXXX.**

1. Dominium supremum Iurisdictionis seu regia monarchica suprema Dei potestas de fide adstruitur.
-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94274](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94274)

si fuerit: ita ut conditio non apponatur dominio, sed eius actibus, & obiecto. Vltima probatio huius conclusionis ex probatione sequentis desumitur.

5. Dico 3. Dominium Dei ultra existentia ad possibilia omnia extenditur. Probatur ex scriptura dicente Deum vocare ea, quæ non sunt, sicut ea quæ sunt: scilicet possibilia in statu puræ possibilitatis, & ex pura sui negatione: ea vero vocatio actus dominij est, quo excellentia dominij diuini prædominij creatis clarescit. Cum enim nulla sit potestas extrahendi res ex nihilo sui, nisi in Deo; ita, nisi in illo, dominium in nondum existentia esse non potest; sed solum in existentia, quæ desinit pro arbitrio creato possunt, vel conseruari: quare in creatis Dominij rei existentia ad dominium expectatur, sicut in Deo, ob rationem datam: ex quo vltius constat dominium intrinsecum, & attributale Dei amplius, quam ad possibilia extendi. Neque eis solum commensurari. Cum enim in omnipotentia Dei fundetur, æque, atque ipsa patere debet: ac proinde, sicut hæc amplior de se possibilibus est, sicut & immensitas omni loco etiam possibilibus amplior: ita & de dominio Dei philosophamur, ut de se, ultra possibilia extendatur. Rerum igitur creatio, & conseruatio earum possessio Dei est non dominium, ut initio questionis docebamur.

6. Restat vero examinare an dominium hoc in creatura omnia Deo intrinsecum, quod eius attributum esse diximus, distinctum attributum ab omnipotentia sit. Nihil enim amplius esse videtur, quam potestas producendi, & conseruandi, vel secus pro arbitrio Dei cuncta, & singula creata possibilia, vel existentia. Sed tamen distinctum ab omnipotentia attributum est, licet an ea fundetur, tanquam in titulo, ut hæcenus ostendimus. Ex enim omnipotentia est virtus, & potestas physica producendi, & conseruandi creaturæ, vel secus, in voluntate Dei formaliter stare, ut supra docuimus, admitteretur. Potestas Dominij vero est potestas civilis, moralitque potentia, non quidem creandi, & conseruandi, vtrumque, sed sine iniuria alterius. Denique disparari hic posset an dominium proprietatis diuinum sit addicibile Deo, atque in aliquam creaturam transferibile: atque an aliqua ex parte Deo minui possit: & de secundo patet ex dictis nulla ex parte Deo minui posse, est creaturæ omnes perirent, imo, per impossibile, possibilia omnia ad impossibilitatem migrarent: cum absolutum à creatis, earumque existentia, & possibilitate eiusmodi dominium sit. De primo vero fute equius citato loco de incarnatione: ubi à Deo in addicibile eiusmodi dominium ostendimus. Quod ipsum de potestate iurisdictionis, seu regali dictum puta ob rationes similes, ne iterum ea de re quæst. 2. vel inquiratur.

QVÆSTIO II.

De Regia Monarchica Dei potestate, quæ iurisdictionis Dominium est.

Hoc est alteram dominij genus, quod iurisdictionis dicitur. Etque potestas gubernandi subditos: cuius actus sunt præcipere, prohibere, permutare, præmiare, quæ, si absoluta nullique alteri subiecta sit in eo ordine, quo absoluta à superiore est, regia potestas est: quod si nulli omnino in ordine villo subdatur est suprema. Vnde apud homines suprema potestas nec datur nec potest, licet Monarchia possit dari, quæ in totum mundum sit: quia & hæc Dei potestati necessario subiecta est.

CERTAMEN VNICVM.

Dominium supremum iurisdictionis, seu regia Monarchica suprema Dei potestas de fide adstruitur.

1. Conclusio, ut titulus fert, est de fide 1. ad Timoth. 1. Rex sacerdotum: dicitur Deus, sicuti & Psalm. 144. Regnum tuum, regnum omnium seculorum. & c. 6. Rex Regum, & Dominus dominantium. Quæ etiam habentur Apocal. 19. num. 16. Ex quibus totius mundi supremam Monarchiam, & Regem aperte, ac de fide Deum esse monstratur. Cum eorum, qui reliquorum mundi Reges sunt, Rex, & Dominus ab scriptura dicitur esse, foreque per sæcula, & æternitatem. I. e. irrationabilibus etiam, & inanimatis plura habentur in libris Iob testimonia, quibus vocare ea Deum, ipsaque præsto esse, atque eius voci obedire suo modo dicuntur: Mathæique 8. cum Christi imperio æstantis ventorum incursum maris magna tranquillitas fieret, mirantes spectatores clamabant: quis est hic: quia venti, & mari obediunt ei: ubi Hieronym. Ex hoc loco intelligimus, quod omnes creature sentiant creatorem: non errore hereticorum, qui omnia putant animantia: sed Maiestate conditoris, quæ apud nos insensibilia, illi sensibilia sunt. Et Apoc. 5. dicitur: Omnem creaturam, quæ in calo est, & super terram, & sub terra, & in mari omnes audiuere, dicentes: sedenti in throno, & agno benedictio, & honor, & gloria, & potestas (græce imperium) in sæcula seculorum.

2. Probatur secundo: quia actus omnes, actus potestatis, seu dominij iurisdictionis, & regie exercere potest: imo, & exercet. Præcipit, & prohibet legitime, iustissimeque, ut ex scriptura passim constat à Deo extraordinaria & præcellenti iurisdictione, à materia independente, ut leuissima quæque, voluntate sua graui efficeret, ac sub mortali possit vel præcipere, vel prohibere: ut pro dolor! in prohibitione prima eius de fructu arboris scientiæ boni, & mali malo nostro didicimus. Secundo: summam habet potestatem puniendi, de factoque malos æternis suppliciis addicit, punitque ex scriptura, & fide. Summam item potestatem præmiandi, ac de facto infætabilibus præmiis bene de se meritis rependit, ut scriptura etiam, & fides docent. Denique: quod permittendi habeat potestatem certius est, quam, ut probatione indigeat: pleraque enim nobis permittit, quæ posset prohibere: imo vero tam pauca, & exigua horum comparatione prohibet, ut omnium fere nobis copiam faciat. Peccati permissio huius potestatis permittendi, de qua nunc, actus non est, sed vel potestatis puniendi, si in peccatam peccati sit, vel dominij proprietatis Dei erga sua dona, & rationales creaturas, vel prouidentie.

3. Regiæ huius supremæ potestatis, seu dominij iurisdictionis tituli naturales sunt. Suprema ipsius excellentia, tum in essendo, tum in scientia, & voluntate, & potentia: ob quæ natura sua ad gubernanda omnia præstantissimus est. Sicuti animis rationalis, quæ talis ob sui præstantiam ad gubernandum corpus, eiusque membra: ac Spiritus Angelici ad gubernandum modum inferiorem corporeum, & sublunarem: & maritus uxorem. Quia nimirum hi omnes rebus præfatis natura sua in scientia, voluntate, & potentia præcellunt, ac proinde eis natura sua præfunt. Secundo ratione causalitatis, seu causæ in actu primo omnium. Naturale hoc iurisdictionis dominium, & regium ius, ac potestatem Deus habet. Sic naturale ius gubernandi filium quandiu directione, & gubernatione eget, habet Pater. Imo in creaturas participatiue, & imitatiue ob eiusmodi titulos dominium naturale iurisdictionis à Deo descendit: nec non naturalia iurisdictionis dominia creata, quæ tyrannides non sunt.

sunt, sed legitima à Dei voluntate promanant, vt Christus ad Pilatum aiebat. Imo, & quæ tyrannica sunt à Dei permissione descendunt, vt pote omnium potestatum Domini.

4. Ex dictis quam plures regie Dei potestatis à similibus creatis differentie facile comperientur, quare & eas recensere omitto. Possunt autem de regia hac Dei potestate, seu dominio iurisdictionis ea omnia disputari, quæ de dominio proprietatis diuino discussa à nobis sunt quæst. 1. Primo an dominiij naturalis diuini titulus causæ vniuersalis, sit causæ vniuersalis in actu secundo? an in actu primo? qua in quæstione postremum cenfeo, ob rationes, quas in simili dedi quæstione illa 1. Secundo an huiusmodi dominium iurisdictionis sit, siue in totum, siue in partem à Deo abdicabile, atque in creaturam transfe-

ribile? cui in terminis respondi eadem quæst. cert. a. n. vlt. negative. Tertio, an ex parte saltem possit Deo imminui? etiam respondi negative ibidem. Quarto an regia hæc potestas, & iurisdictionis dominium sit attributum Dei à reliquis distinctum? & quidem ex dictis etiam constat attributum Dei, & prædicatum Deo intrinsecum esse: cum eius tituli omnes intimi Deo sint, neque aliquid extrinsecum spectent: quod autem diuersum à reliquis attributis, & essentia prædicatum sit facile etiam ex dictis apparet. Est enim diuersa omnino potestas, atque ad diuersos actus ordinata, quam nullum attributum eorum, in quibus tanquam titulis fundatur, formaliter continet. Et hæc satis de Dei essentia, & attributis non vitalibus, quæ Dei scientiam, & voluntatem in se non continent; nec supponunt.



CONTRO